

Johann Fecht Engelhardus Zandtius

Disputatio Theologica De Sacrificiis Ad Memorias Sanctorum Celebratis

Rostochi[i]: Richelius, 1694

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733811604>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 29.Aug. 1694

Fechtius, Jo.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
SACRIFICIIS
AD MEMORIAS SAN-
CTORUM CELE-
BRATIS.

Quam

In inelytâ Academiâ Rostochiensi,
Consentiente venerandâ Facultate Theologicâ,
PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,
SS. TH. D. & P. P. CONSIST. DUC. h. t.
DIRECTORE, DISTR. ROSTOCH. SUPERINT.
ET FAC. THEOL. NUNC DE-
CANO,

Ad diem XXIX. Augusti, A. M. DC. XCIV.

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad publicum eruditorum colloquium
proponit

ENGELHARDUS ZANDTIUS.
Emmendingâ - Brisgous.



Rostochi,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

PERILLUSTRI atqve EXCELLEN-
TISSIMO VIRO,
DOMINO
CONRADO BIERMANN
AB EHRENSCHILD,
EQVITI,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ & NORVAGIÆ
CONSILIARIO INTIMO STATUS, JUSTITIÆ & CANCELLA-
RIÆ SECRETARIO STATUS, NEC NON DROSSETO
PINNEBERGENSI, &c.

*Domino & Patrono suo perquam gratioso,
S. P. P.*

PERILLUSTRIS DOMINE.

QUOD huic præfenti & in lucem publicam editæ Disputationi Theologicæ Excel-
lens Tuum Nomen, Illustris VIR, præfigere conatus fui, incitavit me & quasi coë-
git singularis nec factis deprædicanda Tua virtus atq; munificentia erga literarū
cultores. Quamquam enim illud ipsum Tuum, in summo fastigio positum, no-
men & illustrissima dignatio, radios inusitatae summæq; prudentiæ ubiq; emittens, a propo-
sito detertere me potuisset; tamen animi Tui non minore bonitate, quæ in tanto culmine,
quasi propria Tibi est, nixus, humillima submissione advolvere pedibus Tuis me audeo, &
hoc, quicquid est munusculi chartacei, devoto pectore Tibi, Illustris Domine, offerre.
Age igitur, Patrone Summe, accipe serenâ fronte, manibusq; benevolis, hanc præsentem
dissertationem; Artham hîc habes obsequii mei & omnis illius pietatis, quâ ego Te, Illu-
stris VIR, in oculis semper feram, nihil eorum omisurus, quibus efficere possim, ne in indi-
gnum contulisse beneficia Tua, assatim in me collata, favoremq; Tuum, pleno in me horreo
effusum, videaris. DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS Tua consummatissima consilia,
uti hæctenus, sic in posterum secundet atq; fortunet, ut post Summi Numinis gloriam, Se-
zenissimi ac Potentissimi REGIS Tui salutem, Provinciarumq; illius emolumentum pro-
moveant, quo nomen Tuum, cui nihil nisi æternitas deest, in maximis potentissimisq; Re-
gum Principumq; Aulis auctoritate valeat, successu floreat, propagetur ad posteros;
in immortale Tuæ Familiæ decus atq; ornamentum, omnium deniq; Clientum, quibus &
meam tenuitatem annumero, perpetuum gaudium atq; solatium; id quod precor & ad
cineres, usque precaturus sum

ILLUSTRIS NOMINIS TUI

*Cultor & Client humillimus atq; sub-
gestissimus*

ENGELHARDUS ZANDT.



CAP. V.

*Sacrificia apud sanctorum memorias antiquitus oblata, neque
Missas primò fuisse, neq; in sanctorum vel memoriam
vel honorem celebrata esse.*

I.

AD alia præsidia, quibus vetustatem asserere Missis, in honorem sanctorum celebratis, connituntur Romanæ Ecclesiæ doctores, progressuris, offerunt sese vel sacrificia vel oblationes, nunc apud sanctorum memorias, nunc in eorundem memoriis, itemqve ad memorias, ad memoriam, in memoriâ sanctorum celebratæ, quorum frequens apud veteres occurrit mentio. Has enim Missas nihil aliud esse quam illas ipsas, quæ hodieqve in sanctorum memoriam, seu quod idem est, honorem, in Romanâ Ecclesiâ fiunt, ipsa loquendi ratio citra laboriosam probationem innuere videtur.

II. Hanc consequentiam nectere Pontificios Scriptores, docebo duorum testimoniis, qui Ecclesiam Romanam partim patrum nostrorum memoriâ, partim hoc ipso tempore, non vulgari doctrinæ & eruditionis laude & quondam illustrarunt & hodieq; illustant. Primus *Rob. Bellarminus* est, quo vel solo nomine audito, tanquam ad caput Medusæ, obrigescere hæretici dicuntur. Is eo secundi de Missâ libri capite, in quo sacrificium Missæ rectè celebrari pro sanctis, comprobare instituit, duas istas loquendi formas inter se componit: sacrificium non offertur sanctis & tamen offertur in honorem seu memoriam sanctorum: item: templa non eriguntur sanctis & tamen eriguntur in honorem seu

R memo-

memoriam sanctorum. Priorem in utrâq; formâ partem ab Augustino negari, affirmari posteriorem contendit. Sed ipsa Cardinalis verba audiamus. *Negat Augustinus, ait, (1.) & nos cum illo, sacrificia offerri sanctis & proinde templa & altaria erigi, ut in iis sacrificetur sanctis: at concedit & nos cum eo pariter concedimus, sacrificia offerri in memoriam sanctorum & proinde templa & altaria erigi in sanctorum memoriam; unde etiam templa & altaria, in quibus soli DEO sacrificatur, passim ab Augustino dicuntur memoria sanctorum.* Euestigio verò ex Augustino duo producit testimonia. Primum ex octavo de Civitate DEI libro (2.) depromptum his verbis incedit: *Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare dicere in precibus: offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud memorias eorum DEO offeratur?* Alterum ex vigesimo contra Faustum libro (3.) beatum patrem ita inducit loquentem: *Nulli martyrum, quamvis in memorias martyrum, constituimus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, DEO offertur, qui martyres coronabit, apud memorias eorum, quos coronavit.*

III. Alter Romanorum doctorum, qui ita nos colligere docet, *Joannes Dezius* est, è Collegio Societatis JESU, quod haud ita pridem Argentorati erexerunt, ex uniendi Ecclesias, Romanam & Lutheranam, studio ab aliquot annis celebris. Is itaque libro, eum in finem edito, (4.) ex iisdem *Augustini* locis, quibus & tertium adjungit, non tantum idem planè concludit, sed *Augustini* præterea loca, quæ ubiq; vel sextum præferunt casum, vel multitudinis numerum, quarto casu ita interpretatur, ac si *Augustinus* scripsisset: in memoriam sancto-

(1.) Lib. II. de Miss. c. IIX. §. Secundo; & seq. (2.) Cap. XXVII.
 (3.) Cap. XXI. (4.) Libro, cui titulus: *La Reunion des Portestans*, articulo III. Abus. §. II, p. 379. edit. recent. ubi & allegat August. XXII, de C, D, c. X.

sanctorum offerri vel sacrificari. Sententiam quippe suam initio paragraphi ita proponit : *Qu' on offroit à Dieu seul ce sacrifice dans l' ancienne Eglise ; & qu' on l' offroit en l' honneur des Saints.* Quæ in Germanico expressit : (5.) daß man in der älteren Kirchen dieses Opffer Gott allein geopffert habe ; und daß man es zu Ehren der Heiligen geopffert habe. Augustini verò loca, antea Bellarmino indice producta, quæ apud memorias & in memoriâ martyrum sacrificari dixerant, in Gallicoidiomate convertit : *en memoire des Saints* ; in Germanico verò : *Zur Gedächtnuß der Heiligen.* Quamquam & vim quandam pro Missis in memoriam sanctorum celebrandis in iis Augustini verbis collocare videatur, quæ in loco noviter à se producto leguntur : *ad hoc sacrificium homines DEI, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur.* Quæ verba ille magnâ cum ἐπιφάνειâ reddidit : *On y fait à la verité memoire des Saints selon l' ordre & dans la place, qu' ils doivent y avoir.* Non ita significanter Germanicè : *Es ist zwar wahr / daß man bey dem Opffer der Heiligen gedencket / nach der Ordnung und in der Stelle / die ihnen darinnen gebühret ; cum verti debuisset : Es ist freylich oder in alleweg wahr.*

IV. Duo itaque ab adversâ parte urgeri video : primò, Missas in sanctorum memoriam totidem verbis ab antiquis dici celebratas esse, dum dicunt celebratas esse apud sanctorum memorias. Deinde dum veteres profitentur, Missas super sepulcra & memorias sanctorum, eoqve ritu celebratas esse, ut in celebrandi officio suo loco atqve ordine memorati fuerint sancti, ultrò consequi, Missas jam tum in eorum memoriam & honorem celebratas esse. Prius illud præsentem, hoc posterius proximæ disputationi præbebit argumentum.

V. Memoria propriè & primò illam animi facultatem notat, cujus est ea retinere & repetere, quæ intra se mens

R. 2

qvon-

(5.) p. 384. f.

quondam recepit. Quare & thesaurus omnium rerum à *Cicerone* appellatur, quæ nisi custos inventis excogitatisque rebus & verbis adhibeatur, intelligamus omnia, etiam si præclara fuerint, peritura. Per figuram verò rebus ipsis, quæ illæ memoriâ vel retinentur vel recoluntur, tribuitur. Quo pacto memoriâ virorum illustrium vocamus vitæ ipsorum gestorumque ex præteritâ ætate recensitionem. Cumque & monumenta publica atque privata memoriâ aliorum conservent, jam ab ultimâ Græcæ Latinæque antiquitatis memoriâ memoriæ nomine illa insignita esse leguntur. Sepulcrorum præcipuè inscriptiones frequenter hanc habent nomenclaturam. Sic illa apud *Th. Reinesium* Romæ in ædibus Sonantii: (6.)

MEMORIA. VALERIORUM. SIM
FELICI. ET. CONSTANTI. SIBI
SUISQUE. POSTERISQUE. EORUM
HEREDES. FECERUNT. HABET
IN. AGRO. PEDES. XXX. IN. FR. P. XV.
HOMO RESPICE CASUS ET AB
ALIENA MEMORIA RECE
DE. DOMUS. H. ÆTERNA.

Quæ ipsa memoriæ vox, cum de monumento accipitur, ad designandam monumentorum copiam, in pluralem quoque, ut vocamus, numerum transit: apud Ecclesiasticos præcipuè scriptores. Nam apud Latinos veteres non facile memoriarum nomen, nisi apud *A. Gellium*, qui *memoriarum veterum libros* memorat, & *Vitruvium* reperiri in *Aristarcho* observavit *Ger. Jo. Vossius*. (7.)

VI. Ecclesiæ verò doctoribus nihil pervulgatum magis est, quam memoriæ & memoriarum nomine sepulcra, imprimis monumentis insignita, quæ juxta *Augustinum* sunt *memoriarum ornamenta*, (8.) enunciare. Ita apud *Augustinum*

(6.) *Class. XVI. n. LXVI. p. 813.* (7.) *Lib. I. de Anal. c. XL. p. 585.*
(8.) *II. de C. D. c. XXVII.*

num memoria Stephani Martyris, memoria Gervasii & Protasii, memoria Evodii, ut innumera alia taceamus. Numero verò, qui multitudinem exprimit, memoria nunquam facile quicquam aliud apud Ecclesiasticos Scriptores nisi monumentum designat. Vix enim ullum in contrarium exemplum ex ullo ævo potest adferri. Exemplorum myriadas apud *Augustinum habes*, quibus & alii Ecclesiæ doctores abundant. Ut mirandum omninò sit, *Rodolphum Hospinianum*, virum antiquitatis adprimè peritum, eo Historiæ Sacramentariæ capite, quo inclinationem sanæ doctrinæ de isthoc fidei articulo enarrat, toties memoriarum nomen de commemoratione accipere, eumque in sensum complura vetustatis loca invitatis auctoribus allegare. (9.) Quod cur & recentissimè fecerit *Jo. Dezius*, de eo sub progressum hujus exercitationis judicaturi sumus.

VII. Dicebantur memoriæ, quia memoriam demortuorum conservabant; quam ob causam & à Græcis *μνήματα* dicta sunt, *μνήματα*, ut ait Eustathius, *μνήματα ἀνακινεῖν τὸ πνεῦμα τῶν ζώοντων*. Et denominationis rationem libro de curâ pro mortuis paulò curatius Augustinus evolvit, cum ait: *non ob aliud vel memoria vel monumenta dicantur ea, quæ insignita sunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant & admonendo faciunt cogitari. Nam & memoria nomen id apertissimè ostendit, & monumentum, eò quod moneat mentem, id est, admoneat, nuncupatur.* (10.) Ei fini consequendo sepulcrum, in quo vel corpus vel ossa vel cineres condebantur, lapide, ad duraturi temporis constantiam inserviente, exornabatur. Quod à divitibus præcipuè ante obitum factum esse, Augustinus haud obscure innuit, (11.) cum inquit: *Plerumque audis divitem dicentem: habeo marmoratam domum, quam relicturus sum, & non cogito mihi æternam domum, ubi semper ero. Quando cogitat sibi memoriam marmoratam aut exsculptam facere, quasi de do-*

R 3

mo

(9.) Libr. II, c. 7. p. 125. f. (10.) C. IV, (11.) In Ps. XLIX. Tom. IIX. p. 453.

mo aternâ cogitat, quasi ibi maneat ille dives. Si ibi maneret, non arderet apud inferos. Sed & in veterum inscriptionibus frequenter occurrit:

SERVILIUS. TROLLUS
COMPARAVIT. MEMORIAM
SIBI. ET. SUIS.

Itemque: *comparaverunt sibi memorias duas. Et apud Reinesium in monumentis Christianorum:* (12.)

SUSANNA. COMPARA
VIT. MEMORIAM. QVIE
VIT. DIE. VII. KAL. AUGUSTAR
CONSS. CÆSARIO. ET. ATTICO.

Qvod eqvidem disciplinæ Christianæ, si luxus absit & vana superstitio, non inconueniens esse, argumento præcepti Apostolici, *μνημονεύετε τῶν ἡγαμένων ὑμῶν, memoriam agite doctorum vestrorum,* (13.) edocemur.

II. X. Paulò post marmora ista, è tumulo prominentia, ararum vicem præbuerunt Christianis. An quod gentilium imitarentur ritum, qui haud rarò sepulcris rogos addiderunt, qui assurgebant in modum ararum, lignorum vel lapidum congectione, immo aras ipsas, ad propitiandos demortuis DEos destinatas. Nam apud has DEos Manes colebant, aut ignota etiam Numina, quæ demortuis precabantur benigna, teste in Octavio *Minucio Felice.* (14.) Moremque ex priscis monumentis sollicitè describit libro de jure Manium *Jacobus Gutherius.* (15.) Nam & Christianos eodem ritu sepulcris imposuisse aras, obvia ubiqve in antiquitate exempla demonstrant. Disertè Augustinus: *in memoriis martyrum constituimus altaria.* (16.) Alibi *altare super sanctum corpus martyris ad DEI honorem cultumque constructum*

(12.) Class. XX, n. CXCVI. p. 943. (13.) Hebr. XIII. 7. (14.) Editionis Uzel. p. 52. quamquam de horum Numinum conjunctione dubitet *Def. Heraldus.* (15.) Lib. II, c. XIX. p. 299. f. (16.) XX. contr. Faust. c. XXI.

structum memorat, (17.) Prudentius verò de martyrio S. Vincentii, postquam tumulo creditum corpus, durante gentiliū persecutione, dixisset, ait:

Sed mox subactis hostibus

Jam pace justis redditā

Altar quietem debitam

Præstat beatis ossibus.

Subjecta nam sacrario,

Imamque ad aram condita

Cælestis auram muneris

Perfusam subtus hauriunt. (18.)

Eademque ἐμφάσει Paulinus: (19.)

Pignora sanctorum, Divina gloria mensa

Velat, Apostolicis edita corporibus.

Sic geminata piis adspirat gratia votis,

Infra martyribus, desuper aucta sacris.

Vota sacerdotis viventum & commoda parvo

Pulvere sanctorum mors pretiosa juvat.

Nec aras tantum martyrum tumulis, sed & ædículas primum, (Sacella jam suo ævo vocavit Cicero) credo, ut monumenta pretiosiora ab injuriis furtisque defenderent, mox templa & Basilicas adjecerunt. Nam idem Prudentius de Hippolyto:

Ipsa illas anima exuvias, quæ continet intus

Ædicula argento fulgurat ex solido.

De Basilicis notior res est, quam ut exempla debeant adferri. Memoriarum itaque nomen primo tumulis, mox monumentis, tum aris, porro ædiculis, itemque Basilicis, denique totis urbibus, quia hæc nimirum cuncta sanctorum corpora tegebant, adhæsit. Quo sensu & Græci μαρτύρια dixerunt; templa verò areasq; iis circumfusas, τὰς περὶ αὐτὰ ἑπίπρασ; ut est apud Basilium. (20.)

IX. Enim-

(17.) HX. De C. D. c. XXVII. (18.) Peristeph. Hymn. II. n. 513,

(19.) Epigr. IX. (20.) Quæst. diff. expl. XL.

IX. Enimverò credibilis mihi est, non paganorum æmulatione, aras & templa sanctorum tumulis, sed fortuitâ occasione inædificata esse. Quæ enim martyrum memoriæ erant, primum nil nisi tumuli fuerunt, simplice cespite tecti. Quippe in tanto gentilium adversus Christianum nomen odio, non poterant sine vitæ discrimine, priusquam Christianorum Imperatorum pietas libertatem religioni concederet, externi honoris signa ulla martyribus suis post coronationem exhibere Christiani. Qui martyrum corpora ideò, ne à Christianis colerentur, non cremarunt tantum, sed crematorum cineres in præterfluentes fluvios projece- runt, quo pacto passi fuerint, ut collecta ossa cineresq; arcis loculisque inclusa, preciosis marmoribus, aut monumentis aliis, publicè obviis, honorarentur? Collectas potius, magno sæpe periculo, sanctorum reliquias, in cæmeteriis, vel inter vulgaria funera, ne ab Ethnicis agnoscerentur, posue- runt, vel intulerunt cryptis, quas subter terram defunctorum ista receptacula complectebantur. Documento nobis Smyrnenfium diligentia est, qui combusto Divini Senis, Polycarpi, cadavere ἀνελόμενοι τὰ ἡμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερον ὑπὲρ χρυσίου ὅσα αὐτῷ ἀπεθέτησαν, ὅπως καὶ ἀκόλαστον ἦν; id est, ut reddidit Henr. Valesius: *ossa illius, gemmis pretiosissimis cariora & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condiderunt.* (21.) Ubi conveniebat, ubi consentaneum erat, inqviunt, nec audent nominare locum, ex quo tantum iis subtrahendi thesaurum arripere facile ansam gentiles poterant. Iis itaque in locis vel sub dio, vel, ubi nonnunquam tranquilliora à persecutionibus tempora fuerunt, extructis, ut supra diximus, ædiculis seu fabricis ligneis, arcendæ à sepulcris pluvix vel cuilibet alii injuriæ aptis, convenere, in quas ipsas tamen à gentilibus sævitum subinde esse, veterum Historicorum testimoniis edocemur. Cumque martyrum aliorumque piorum, Ecclesiæ cum primis ministrorum, tumuli

(21.) Apud Euseb. IV. Hist. Eccl. v. XV,

muli sub fabricis istis altius è terrâ prominerent, lapide quandoque majori, vel pluribus etiam minoribus instrati, ararum illa officium præstitisse, ad quas sua celebrarent sacra, admodum verosimile est. Aris equidem caruisse primos illos sub Ethnicis Christianos, indubitata veterum monumenta testantur, apud Origenem, Arnobium, Lactantium. Intellige aras, huic fini ex proposito exstructas, ut celebrando Eucharistiæ sacrificio inservirent. Nam de cætero vel mensam vel repositorium vel quodvis aliud instrumentum, recipiendo cibo potuive idoneum, habuerint in conventibus suis necesse est primi Christiani, quas postmodum aras vocarunt, ubi templa erigi cœperunt, cum in Ecclesiis & Dominicam cœnam frequenter celebratam, & acta, quæ Agapas vocant, convivia, & denique eleemosynas atque munera, liberaliter oblata, distributa fuisse, vetustissimi patres, Justinus, aliique non sinant nos dubitare. Hunc verò usum sepulcrorum eminentias præbere potuisse, quis ambigat? Quæ magnifica, splendidissimaque Noribergensium cœmeteria spectaverit, tot aras, quot sepulcra, (sunt autem prope innumera, mensarum instar è terrâ exstantia) vidisse visus sibi fuerit necesse est. Seculo certè quarto sepulcrales lapides, quamquam nullum in sacris usum præstarent, quippe in publicâ passim viâ positos, sed tantum conservandæ martyrum memoriæ inservientes, aras vocatos esse, cum earum speciem referrent, ille Concilii Carthaginensis quinti canon manifestè arguit, qui jubet, ut *altaria, quæ passim per agros, aut vias, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquie martyrum condite probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, (Cenotaphia intelliguntur) si fieri potest, evertantur.* Additque, meritò reprobari altaria, quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur. Jacobus quoque Augustus Thuanus refert: in templo S. Orentii, quod in veteri Novempopulaniæ metropoli Augustæ Ausciorum visitur, spectasse

Etasse se altaria, hinc inde in templo posita, quæ fuerint, ut opinatur, sepulcra Christianorum, ad quæ Christiani cœtus olim celebrari consueverint; non plana & jacentia, (ut nostra hodie mensæ speciem repræsentent) sed dorso gibbo asurgentia, cum notâ labari inscriptione. Quamquam hanc ararum formam conventibus quidem sacris, non verò celebrandis mysteriis aptam fuisse arbitretur Diatribâ de Dote Ecclesiæ suæ eruditionis vir, *D. Casparus Zieglerus*. (22.) Utrique verò inservisse, repræsentatâ quoque forma æri incisâ, vir illustis *Jobus Ludolphus* disputat. (23.)

X. Quæ de subterraneis cryptis diximus, communi quidem nituntur opinione, conventusque in iis etiam actos esse *Dav. Blondellus*, incomparabilis $\mu\lambda\upsilon\iota\varsigma\omega\rho$, quo nemo forte hanc materiam diligentius magisque sollicitè excuslit, (24) inde quoque persuadere satagit, quod facilius ibidem fuerit ob solitudinem confluxus, immò & tutior, ob ararum & cryptarum cujusvis sæpe multitudinis capacium vastitatem, suamque, quæ gentiles semper incessit, ne quando *manes temerare sepultos* viderentur, religionem, omnium receptus. Sed verò novissimè *Gisbertus Burnetus*, (25.) catacumbas Romanas & Neapolitanas, quæ cæteras omnes magnificentiam, amploque subter terram spatio superant, neque à primis Christianis ædificari potuisse, ob ingentem aris suam, ad tantum tamque stupendum opus requisitam, parvumque tum Christianorum in his locis numerum, & quod gentiles id nunquam permisissent, neque potuisse in iisdem conventus suos instituere, ob intolerabilem, qui in iis exhalat, foetorem, contendit, quas antiquissimorum Romanorum temporibus excitas, eaque ipsa loca esse persuasus est, quæ *Festus Pompejus* Puticulos olim appellatos esse scribat, vetustum nempe sepulturæ genus in puteis, puticulos dictum, quia

(22.) *Cap. V. §. XII. p. 54.* (23.) *Histor. Æth. III. 6. n. 73. f.* (24.) *Apol. pro Sent. Hier. Sect. III. p. 243. f.* (25.) *In desc. It. Ital. Part. II. p. 144. f.*

quia ibi cadavera putrescerent. Quicquid verò ejus rei sit, id certè evidens est, nec peculiari à cæteris Christianis honoratoriqve loco martyres conditos esse, nec loca, ubi sepulti erant, ad cultum Divinum, ob honorem martyribus habendum, primitus electos, sed priscos illos Christianos, diris gentilium persecutionibus, quasi inevitabili quadam necessitate adactos, illectosqve securitatis fiducia, fatente è Romanis *Faulo Aringho*, latibula quælibet obvia, antra, specus, sylvas, publicis suis sacris destinasse.

XI. Duravit rudis illa memoriarum forma ad Constantinum usqve Magnum. Quamquam enim Anacletum, R. P. jam initio secundi seculi memoriam S. Petri composuisse & seorsim à plebe loca, ubi martyres sepelirentur, assignasse *B. Platina* tradat, (26.) id tamen, si de justâ templi fabricâ intelligatur, nec apud ipsos Pontificios, notante in *Examine Annalium Baronianorum* perpetuo *Jo. Henr. Otio*, (27.) omninò invenit fidem, quippe qui & ipsi cum istâ libertate quotidianas Christianorum clades, mortesqve Ecclesiæ antistitum conciliare non potuerunt. Ubi verò ab effuso ubertim sanguine respiravit Ecclesia & in libertatem à Christianis Imperatoribus vindicata est, tum verò elevare altius supra terram martyrum conditoria & lapidibus, quæ ararum referrent formas & vicem commodius obirent, ornare instituerunt. Testatur hoc apertè *Prudentius*, hymno supra nobis allegato:

*Sed mox subactis hostibus,
Jam pace justis reddita,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.*

Verba: *mox subactis hostibus*, interpretatur *Æl. Antonius Nebriffensis*: postquam gentiles cesserunt Christianis & summa rerum omnium delata est ad nos. (28.) Antea enim Vincentii ossa nudo tumulto fuerunt illata: S 2 Felix

(26.) Sub. Anacl. p. 16. (27.) Ad ann. 106. Cent. II. p. 77. (28.) Edit. Weiz. p. 59.

Felix amœni litoris

*Secessus ille, qui sacra
Fovens arenis viscera,
Vicem sepulcri prœbuit.*

*Dum cura Sanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vita reservat postera.*

Alibi idem pulcherrimus Poëta de reliquiis B. Eulaliæ mar-
tyris: (29.)

*Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum.
Illa DEI sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosq; suos
Carmine propitia fovet.*

Cum Eulaliæ ossa altari supposita sunt, ipsa Eulalia videbatur
quiescere sub pedibus DEI, qui altari imminebat, cujus cor-
poris & sanguinis mysterium super altari peragebatur. Un-
de nata hujus & sequentium seculorum scriptoribus occasio,
illum Apocalypseos locum, in quo animæ interfectorum
subtus altare à Johanne visæ esse dicuntur, (30.) qui tamen
à veteribus pariter & recentioribus non uno modo exponi-
tur, de martyrum reliquiis, sub aris conditis, interpretandi;
de quo longa est *Cornelii à Lapide* ad hunc locum digressio.
Nobis suffecerit *Augustini* locum, quamquam paulo proli-
xiorem adduxisse. Ita autem ille: *Videte, quem martyres
locum apud homines mereantur, qui apud DEum locum sub al-
tario meruerunt. Dicit enim Scriptura Sancta: vidi sub arâ
DEI animas occisorum propter verbum DEI & propter testimo-
nium Jesu, quod habebant. Sub arâ, inquit, DEI vidi ani-
mas occisorum. Quid reverentius, quid honorabilius dici po-
test, quam sub illâ arâ requiescere, in quâ DEO sacrificium ce-
lebratur, in quâ offeruntur hostiæ, in quâ Dominus est sacerdos,*
sicut

(29.) Hymn. IX. Peristeph. II. III. f. p. 119. (30.) Ap. VI. 9.

sicut scriptum est: tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedek. Rectè sub altari justorum anima requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iusti vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur & quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait: quotiescunqve hoc feceritis, mortem meam annunciabitis, donec veniam. Scilicet ut qui propter mortem eius mortui fuerant, sub sacramenti eius mysterio requiescant. Non immeritò, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominice membra ponuntur, ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. (31.) Hæc ille prorsus piè atqve præclare,

XII. Nontamen in hac, quam vel fortuita occasio vel imposita necessitas ei suggerebat, pietate acquievit antiqua Ecclesia, sed eandem seculo quarto & sequentibus vel pietate vel superstitione cumulavit. Ubi enim altaria erigenda fuerant, quod ob subitum & incredibile Christiani nominis augmentum ubiqve faciendum erat, nec verò martyrum omnibus locis reliquiæ inveniebantur, conquirere easdem, deqve loco in locum transferre cœperunt, tantâqve illas postremo veneratione sunt profecuti, ut in solennibus conciliis, non posse neqve debere novas consecrari Ecclesias, sine suggestis altari martyrum reliquiis, atqve sine istis ejusmodi initiationes irritas esse, decernerent. Suo jam tempore *Ambrosius*, Romanum morem imitaturus, Basilicam sine martyrum reliquiis consecrare noluit, sed veluti *præsagii* cujusdam ardore incitatus effodere terram iussit, invenitqve miræ magnitudinis avulsis capitibus viros duos, ut prisca ætas ferebat. Quos senum quorundam testimonio compertum est sanctorum *Gervasii* & *Protasii* corpora esse: quæ imis altaris partibus inseruit, *Succedant*, in-

S 3

quiebat,

(31.) Tom. X, Serm. XI. de Sanct. p. 187. f.

quiebat, (32.) *victima triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione.* Similia exempla recensent Sozomenus, Augustinus, Paulinus, Gregorius, Theophanes & infiniti alii. Quæ circa reliquias religio ita universim placuit, ut tandem abiret in legem: Quo id tempore factum fuerit, non ita certò habeo dicere. Nam qui sub quarti seculi finem in Concilio Carthaginensi quinto ea de re compararet canon: *Placuit, ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriae martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquia martyrum condita probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis presunt, si fieri potest, evertantur:* quemque pro comprobandâ opinione: reliquias, ut Scholastici loquuntur, de substantiâ consecrationis Ecclesiæ vel altaris esse, adeò ut sine reliquiis sanctorum Ecclesiæ vel altaria consecrari nequeant, adducit *Jo. Stephan. Durantus, (33.)* neque de altaribus Ecclesiarum, in quibus sacrificium DEO offertur, sed de meris martyrum monumentis, seu Cenotaphiis, ut autumat *C. Zieglerus*, memoriæ tantum causâ excitatis, quæ plerumque cellulâ seu Eremitorio, ut ad marginem canonis innuit *Barthol. Caranza*, ad fundendas ibi orationes tegebant Monachi, loquitur, neque ideò illa altaria jubet everti, quia sine martyrum reliquiis consecrata essent, sed quia martyrum vel reliquias vel habitationem, vel possessionem vel passionem, quippe inanibus veterum somniis & fictis superstitiosorum hominum revelationibus innitentia, mentirentur & verò indignum sit, pro pretiosis martyrum ossibus ossa colere vel vulgarium hominum, vel forte etiam brutorum. Cum credulitas ista, semel admissa, innumeras alias post se apta sit progenerare. Nec aliter intelligi quinquagesimus canon alterius Concilii Carthaginensis Africani, quod circa annum CCCCXXIV. celebratum est,

(32.) *Epist. LXXXV. ad Sor. f. f.* (33.) *Lib. I. de Rit. Cath. Eccl. c. XXV. n. 5. p. 216.*

est, potest. Quare disertam demum legem seculo octavo, ad novum vergente, Concilium Nicænum II. quod in Romanâ Ecclesiâ septimum generale est, condidit, quam septimus canon his verbis promulgat: *Qui venerabilium imaginum aspectum ex Ecclesiâ sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oporteat renovari & tam ex jure scripto, quam non scripto sic observari. Quæcumque ergo templa consecrata sunt absque reliquiis martyrum, in eis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecraverit sine sanctis reliquiis, deponatur.* Non apparet dilucidè, an morem istum consecrandi templa per suppositas altaribus sanctorum reliquias, juri, ut vocat, scripto an non scripto annumeret. Quia tamen non videtur Synodus aliam allegatæ hujus distinctionis causam, quam hanc habuisse, quod Iconomachi nullo Ecclesiastico jure illam ararum inaugurationem niti objecissent, morem hæctenus nullo canone subnixum in legis necessitatem, ut & hinc ægré faceret adversariis, convertere voluisse haud improbabiler videtur.

XIII. Ut verò sine sanctorum reliquiis extruî consecrarique altaria non potuerunt: ita nec sacrificium nisi subter tali altari celebrari. De tempore, quo id excrevit in legem, eadem, ut opinor, incertitudo est, cum ex iisdem principis utriusque controversiæ dijudicatio dependeat. Felix e quidem I. Rom. circa annum Domini CCLXX, Episcopus, Epistolâ secundâ ad universos per Galliæ provincias Episcopos, in Synodo amplius quam sexaginta Coëpiscoporum, constituisse se ait, *omnibusque Ecclesiis tenendum & agendum mandasse, ut super memorias martyrum Missæ celebrentur, ne memoria eorum à talibus, (quos paulò ante dixerat, memorias martyrum execrari,) extinguî aut veneratio possit prohiberi.* Sed verum est *Magdeburgensium, (34.) de adulterinâ hac epistolâ judicium: illius ineptias & silentium, quod altum est de circumstantiis necessariis*

(34.) Cent. III. c. VII. p. 182.

sariis & rationum absurditatem & compositionis perplexitatem & historiarum symphoniam facile probare, ea, quæ in illâ dicuntur, hoc seculo non accidisse. Quod majori momentorum pondere adversus Epistolarum Decretalium Hyperaspisten, Franc. Turrianum, ostendit in Pseudo-Isidoro Dav. Blondellus. (35.) Prodit autem manifestè recentioræ ætatem perturbatorum, quos vocat, mentio, qui memoriis martyrum infesti, congregationes in iisdem factas reprobarunt. Qui non sunt alii quam Eustathius, Sebastia Episcopus, qui circa annum CCCXXX. immò, quod alii argumentis non contemnendis volunt, (36.) c.a. CCCLX. & Vigilantius, Presbyter Barcinonensis, qui circa annum CCCL. conventus apud martyrum sepulcra factos, contempserunt & omnes illic convenientes reprehenderunt, ut in Epistolâ Actis præfixâ loquuntur Patres Concilii Gangrensis, qui ideò eosdem canone ultimo, qui in Dionysiano codice nonus & septuagesimus est, his verbis condemnant: si quis superbo affectu utens & abhorrens conventus martyrum & sacra, λειτουργίας, Missas, sacrificia, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias abominatur, anathema sit. Id cum epistolæ auctor legisset, fingit, jam eo tempore, quod tamen quinquaginta, immo octoginta annos perturbatores istos antecessit, & honorem martyrum memoriis vindicatum & sacrificiorum in memoriis celebrationem lege stabilitam esse. Neque est, quod vel Anastasius, qui scribit: Hic constituit super sepulcra aut memorias martyrum Missas celebrari; vel Platina, cujus ista sunt verba: Felix martyrum gloriæ consulens statuit, ut quotannis sacrificia eorum nomine celebrarentur, ad roborandum nothi Felicis effatum nobis objiciatur. Præterquam enim, quod uterque longè recentior est, quam ut silentibus antiquis de re tanto intervallo ab ipsis remotâ idoneum testimonium ferre queat, non audet doctissimus Cardinalis, Joannes Bona, ex Anastasii

(35.) P. 357. f. (36.) Ad hos accedit & sententiæ momenta expendit peculiari de Conc. Gangr. exercitatione celeb. Schelvgium.

anastasio verbis, quæ Missarum celebrationem extra martyrum memorias ideò, quod cæteras approbant, non videntur improbare, legem indubitatam exsculpere, sed: *FORTASSIS*, inquit, *de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset.* Qui tamen etiam paulò ante è libertate conveniendi ad martyrum sepulcra, superque iis, dominante jam ob profligatum Ethnicismum ubique Christianâ religione, templa ædificandi, morem istum ortum esse arbitratur. *Inde, ait, originem traxisse mihi videtur celeberrimus & inviolabilis Ecclesie ritus, ut sine martyrum reliquiis nullum templum nullumve altare ædificetur.* Veruntamen alii è Romanis doctoribus, quibus & *Baronius* atque *Spondanus* accedunt, mallent hunc morem ad antiquiora tempora, ipsiusque adeò *Anacleti*, quem alii post *Petrum* primum, alii tertium, alii quartum Romanorum Episcopum faciunt, reducere. Sed verò cum fidem nullo indicio facere sibi possint, illud fabulari narrationi proprium, quod jam olim *Polydorus Virgilius* fecit, (37.) usurpare coguntur: *Fertur ejus rei prior fuisse auctor.* Quod si lege sanxit *Anacletus*, ne nisi in martyrum memoriis sacrificaretur, quomodo id ignoraverit *Felix*, qui cum idem mandaret, ad antecessoris sui constitutionem non provocavit? Quomodo *Anastasius*, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, qui statutum istud primo *Felici* adscripsit? Si legem istam tulit *Felix*, quæ *Bédam* id latuerit, diligentissimum antiquorum lectorem; ut legis illius originem ad *Gregorium Magnum*, sexti seculi Romæ Præsulem, vixq; uno seculo à sese distantem, referret? *Fecit, ait, inter alia beatus Papa Gregorius, ut in Ecclesiis beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, super corpora eorum Missæ celebrarentur.* (38.) *Platina* verò narratio idonea non est, ut ad probationem hujus rei inserviat. Quid enim est: quotannis sacrificia nomine martyrum celebrari? Anne celebrari in eorundem memoriis? At memoriarum nulla hic mentio &

T

fi cor-

(37.) Lib. VI. de Inv. rer. c. IIX, p. 438. (38.) Lib. II. Hist. Eccl. Gent. Angl. c. I. p. 31.

si corrigendum esse locum, legendumque: *statuit, ut quotannis sacrificia in eorum memoriis celebrarentur*; esse dixeris: quid est, quotannis tantum super eorum memoriis sacrificari? Ergo præter anniversariam festivitatem, martyrum memoriis impendendam, super eorum sepulcris sacrificia celebrari non debuerunt? Nempe hoc tantum velle *Platinam*, quotannis munera precesque pro martyribus oblatas esse, ne eorum memoria citò exolesceret, superiori capite evidentibus, ut puto, argumentis probatum dedi. Ex quo instituto vitiosam esse ad sacrificia in memoriis martyrum celebranda collectionem, ultrò intelligitur. Quæ cum ita se habeant, iterum magnâ verosimilitudine concludo: morem super martyrum memoriis sacra faciendi, antea solâ consuetudine nixum, primos Concilii Nicæni secundi patres inviolabili legis vinculo adstrinxisse.

XIV. Cum quæritur, quænam primam illam purioremque Ecclesiam rationes moverint, ut Eucharistiæ sacrificium super memoriis potius martyrum, quam mensis & altaribus quibuslibet aliis celebrare voluerit, duplici modo inficiando, affirmandoque, potest responderi. Primò enim memoriis martyrum ad tantum mysterium peragendum usa non est in hunc finem, ut iisdem sacrificium in illis vel super illas offerret. Id totidem verbis suo adhuc seculo testatur *Augustinus*, quem ideò audiemus: *Nos autem martyribus nostris non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO & martyrum & nostro sacrificium immolamus.* (39.) Itemque: *non martyribus sacrificat sacerdos, quamvis in memoriâ sacrificet eorum, quia DEI sacerdos est, non illorum.* In memoria, inquit, id est, sepulcro. Nec negat tantum, sanctis offerri, sed ratione probat. Nec non alibi: *Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad DEI honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium, Petre vel*
Paule

(39.) XXII. de C. D. c. X.

Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur DEO, qui eos & homines & martyres fecit & sanctis suis angelis caelesti honore sociavit? (40.) Verum in re perspicuâ pluribus verbis opus non est.

XV. Nec in memoriis martyrum eo fine sacra peragebantur, ut in eorum illa honorem memoriamque cederent. Id enim *Augustinus* perpetuò repetit: ad memorias, in memoriâ, super memoriis; non ad memoriam eorum aut honorem. Quin hæc duo sibi invicem notanter opponit: super martyrum memoriâ in DEI honorem. Quare & altare ipsum ei dicitur *super sanctum corpus martyris*, non in memoriam martyris aut honorem, sed *ad DEI honorem cultumque constructum.* (41.)

XVI. Omnium minimè memoriæ martyrum sacrificiis peragendis instrumenta fuerant, eum in finem directâ, ut apud corpora vel ossa vel cineres martyrum martyres ipsi aut adorarentur, aut invocarentur, aut eorum DEO allegarentur merita. Nimis mustea illa est sacerdotis, ad altare ascendentis, precatio: *Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquie hic sunt, & omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Nam *Augustinus*, quantumvis jam illud, in quo vixit, seculum ad superstitionem fuerit proclive, disertè tamen: *ad hoc, inquit, sacrificium sicut homines DEI, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Sed de hoc argumento infra fusius à nobis dicetur.

XVII. Quemadmodum verò ea, quæ occasio nobis ultro aut aliqva necessitas suggerit, peculiarem causam non habent, quippe quæ oblata nobis potius quam studio excogitata quæsitæque sunt: ita celebratum Eucharistiæ sacrificium primitus est in memoriis martyrum, non ob rationem aliquam singularem, ipsi martyris sepulcro insitam,

T 2

sed

(40.) IIX. de C. D. c. XXVII. (41.) IIX. de C. D. c. XXVII.

sed ex nudâ, subministratâ ab ipsâ præsentî necessitate, occasione. Cum enim ob securitatem in cœmeteriis ad sacra conveniendum esset, neque sub aperto plerumque cœlo aut mensis tellurem insternere, ob intentata Christianis quotidiana pericula, semper liceret, aut ob eorundem paupertatem illæ ubique in promptu essent, extantes autem demortuorum tumuli mensarum ararumque commodius, quam ima soli planities, disponendi sacra Eucharistiæ symbola officium præberent, occasionem istam non quæsitam sed oblatam arripuerunt Christiani primævi, citraque ullum alium intentum finem super tumulis sacra administrarunt. Cumque martyrum sepulcra, (ubi quidem illa fuerant; nec enim ubique locorum, aut uno simul tempore tot, quot Ecclesiæ erant, martyria patiebantur; quin nec in universum tantum martyrum numerum fuisse, quantum vulgò putabatur hætenus, singulari exercitatione (42.) *Henricus Dodwellus*, Dubliniensis, probare admissus est) cæteris honorati ora meritò haberentur, ea ex amoris erga sanctos istos veritatis confessores affectu cæteris præferri cœpisse, vero admodum consentaneum esse videtur.

XVIII. Temporis deinde successu alias subinde, aliasque, easque nec impias, nec ineptas, cur instituto illi inhærerent, laudare causas Ecclesiæ doctores cœperunt. Quarum princeps fuerat, ut sacrificii in sanctorum memoriis celebratio testimonium esset ejus, quam in Apostolorum symbolo profiteremur, sanctorum communionis. Ejus jam in Epistolâ suâ mentionem faciunt Smyrneneses, qui id se magnopere egisse testantur, *καὶ κοινωνῆσαι τῶν ἁγίων πολυκάρπης σαρκίῳ*, ut sacro illius cadaveri communicarent. (43.) De eadem perquam modestè *Joannes Bona*, Cardinalis, cujus verba non omittemus adscribere. *Hæc, inquit, martyrum veneratio ex eo dogmate fidei orta est, quâ sanctorum communionem credimus & profiteremur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur,*

(42.) Dissert. Cyprian. XI. p. 56. f. (43.) Ep. Euf. IV. M. E. XV.

fiterentur, in iis locis ad orationem & ad Divina mysteria participanda conveniebant, in quibus sanctorum lipsana posita erant, ut eâ ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem representatur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum militanti communicat & sacrificio nostro interest. Nam licet ipsa lipsana & ossa sanctorum absente animâ sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam, quæ in cælis est, & ipsis inest semen quoddam resurrectionis & eternitatis. Hac eadem de causâ veteris Ecclesiæ patres Episcopos orthodoxos sub altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis sacrificia & ordinationes fierent; quia ad servandam fidei unitatem & ad legitimam successionem indicandam communionem viventis Episcopi cum antecessore defuncto necessariam existimabant. (44.) Quod exemplo Donati, Episcopi Sitifensis, ex collatione Carthaginienfi deprompto, probat. Nihil meminit ingenuus Cardinalis honoris aut memoriæ, cujus gratiâ sacrificia sua super martyrum sepulcris veteres agiterint.

XIX. Deinde congruum naturæ est, ut ex eorum præsentia, qui in vitâ præ aliis chari & pretiosi DEO fuerunt, singularis devotionis ardor in viventium pectoribus excitetur, alaturque. Quemadmodum eo loco, ubi sceleratorum hominum cadavera, quos carnificis neci dedit manus, sepulta jacent, alienatione quâdam & horrore corripimur, eumque naturæ quodam metu refugimus & formidamus: ita ubi scimus, colere quasi & habitare charissimos DEO sanctissimorum hominum cineres, quorum animæ in cælis æternum triumphant, quæ fieri possit, ut non toti in gaudium, in devotionem, in contemplationem rerum Divinarum, cui nempe fini sacra loca dicata sunt, solvamur? Innuit hunc finem eo loco *Augustinus*, ubi Fausti objectionem: quod martyrum memorias catholici honorent, gentiliumque idola in sanctorum numina convertant, refellit: quod, inquit, in locis

T 3

(44.) Lib. I. R. L. c. XIX. §. V. p. 416.

locis sanctorum corporum offertur, offertur non martyribus, sed DEO, qui martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante possumus. (45.) Majorem inquit exurgere in animis Christianorum affectum, cum ipsius loci conditione, id est, martyrum præsentia admonentur, eadem, quâ illi quondam fecerunt, devotione cultum DEO præstare, eodem charitatis fervore DEum diligere, ut simili quondam in cælo honorentur coronâ.

XX. Nec charitatem tantum ex loci sanctitate erga DEum accendi ait *Augustinus*, sed & erga martyres ipsos, in Domino quiescentes, ut eorum intuitu ad imitationem magnarum, quibus illi præfulserunt, virtutum instigemur. Acuitur nempe juxta eundem charitas & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante possumus. Qui novus est antiquæ Ecclesiæ finis, cur ad martyrum conditoria conventus agere & sacram super eorum tumulis synaxin celebrare voluerint. Quem majori verborum virtute *S. Basilius* libri regularum fusius disputatarum eo loco commendat, ubi nundinarum *ἀνεργίας* & solennitates martyris, (ita & memorias martyrum, ubi ossa eorum recondebantur, dictas esse, adductis ex Concilio Laodicensi & Eusebio locis, (46.) *Fronto Ducaus* comprobat) convenire inficiatur. Neque, inquit, nundinationes illæ, quæ in martyriis celebrari solita sunt, convenire nobis putanda sunt. Neque enim ullam aliam ob causam adesse decet Christianos in martyriis, aut istis contigua loca invisere, quam orandi causâ & ut sanctorum constantie admoniti, in quâ illi, ne pietatem amitterent, ad necem usque fortiter perseverarunt, ipsi quoque ad similis fortitudinis emulationem incitentur. (47.) Alibi verò jucundissimâ figurâ auditores suos, ad suburbanam Gordii martyris memo-

(45.) XX. contr. F. M. c. XXI. p. 375.

(46.) In Not. ad Bas. p. 31.

(47.) Interrog. XL. p. 483.

memoriam ex oppido magnâ frequentiâ excurrentes, apum ex alveario turmatim exeuntium agmini comparat, eosq; Salomonæo illo alloquitur: *dum justus laudatur, populi letabuntur.* (48.) Cujus loci hunc esse sensum asserit: *quod populus spiritali letitiâ gaudeat, si eorum tantum admoneatur, quæ justi patrarunt atq; inde ad emulationem rectè factorum ab iis, quæ audit, accendatur.* Illorum enim, qui in fide claruerunt, *historiam simplicem velut lucem quandam DEI cultoribus ad virtutis iter ostendere.* Quod cum lectissimis ex S. codice exemplis confirmasset, simili quoq; pulcherrimo illustrat: *quemadmodum ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoq; præstanti diffunditur odor: sic è sanctorum commemoratione gestorum ad omnes pervenit utilitas.* (49.) Nunquam autem ad Christianas omne genus virtutes flagrantius inflammari par est, quam cum sacrum charitatis convivium, quæ virtutes in se omnes complectitur, celebramus.

XXI. Non negavero tamen, seculo jam quarto & quinto alios quoque, eosque supersticiosos, huic instituto nonnulli locorum adhæsisse fines. Nam cum in ipsâ S. Synaxeos administratione commemorari primum martyres, mox laudari & in imitationis exemplum, etiam conceptis precibus, proponi cœpissent: *Concede Domine, ut quorum gaudeamus virtutibus, eorum accendamus exemplis: & quorum natalitia colimus, eorum actiones imitemur atque de eorum in æternâ beatitudine societate gaudeamus; tandem & compellationes martyrum pro fociandis precibus & eorundem manifestæ invocationes accesserunt; de quibus verò peculiari capite dicemus.* Quinimò ex ipsis martyrum reliquiis & odorem spirare jucundum & benedictionem multiplicem ad eos, qui vel sacrificio interessent, vel reliquias contingerent, dimanare persuaserant. Exemplum *Sozomenus* exhibet, in investigatione reliquiarum sanctorum XL. martyrum, (50.) ubi cum jussu Pulcheriæ Augustæ terra effoderetur, primo
Euse-

(48.) Prov. XXIX. 2. (49.) Hom. XIX. in Gord. p. 516. f. (50.) IX. 2.

Eusebiæ apparuit locus & in summâ ejus parte exiguum foramen. Tum verò adstans quidam ex Imperatoris palatio tenens virgam, quam manu gerebat, per foramen demisit. Quam cum retraxisset, naribus admovit & unguenti odorem suavissimum olfecit. Τρυπήματα ista fenestellas ab aliis vocari notat H. Valesius, (51.) quorum alterum exterius in altari vel in pavimento, sub quo conditæ erant reliquiæ, alterum interius fuerit, in capsâ seu arcâ, quâ reliquiæ claudebantur. Per hæc autem foramina, quæ è regione sibi invicem respondebant, Christianos solitos esse dimittere velamina, ut sanctorum reliquias contingerent, quas pro magnâ benedictione acceperint. Quem quidem morem, hodie certè in Rom. Ecclesiâ usitatissimum, seculo demum sexto, vel quinti fine cœpisse ego existimo. Nam antea foramina ista, (quæ, nisi totus fallor, in monumentis quoque Noribergensibus conspexi) alii longè fini, utpote vaporum exhalationi & similibus, inserviisse credibile est. Quod verò Chrysostomus (52.) benedictionem nos consequi adseverat, si martyrum reliquias contingamus, id ita intelligendum semetipso interprete est, quod si ad martyrum memorias accedentes, eorum animo nostro, præeunte Ecclesiæ doctore, virtutes impresserimus, magnos vel similis in adversitatibus patientiæ, vel in religione constantiæ, vel in rectè agendo promptitudinis thesauros collecturi & eorum præterea intercessionibus variæ felicitatis benedictionem adepturi simus.

XXII. Itaque palam ut in meridie est, sacrificia in memoriis martyrum sanctorumque celebrata, esse vel oblationes vel preces vel SS. Eucharistiam, super sanctorum martyrum sepulcris celebratam: hujusque instituti primos vereque Christianos fines sanctorum in unâ fide communionem, excitationem ardentioris erga Servatorem, istud nobis animarum epulum parantis, devotionem & ad similia Christianæ in persecutionibus constantiæ, variarumque virtutum exempla invi-

(51.) Annot. p. 168. (52.) Serm. in. Juv. & Max. T. III. p. 941.

invitationem fuisse. Harum rationum cum meminerint vetustissimi post Apostolos Ecclesiæ scriptores, non meminerint autem ullo verbo ejus finis, quem Romana jactat Ecclesia, quod celebratum fuerit sanctissimum corporis & sanguinis Christi sacrificium vel in honorem vel in memoriam sanctorum, ultro intelligitur, hanc veteris Ecclesiæ consuetudinem pro origine Missarum, in honorem sanctorum celebratarum, allegari jure non posse. Id autem ut evidentius fiat, non omitemus & ea expendere antiquitatis loca, quæ Pontificiis præferre aliquam hujus moris speciem videntur, quæque ab illis ad ejus rei comprobationem vel allegantur vel possunt allegari.

XXIII. Et quidem quæ à *Bellarmino* producuntur, ita comparata sunt, ut ex pumice citius aquam, quam ex locis illis sacrificia in honorem sanctorum celebrata exsculpas. Quæ enim ista consequendi vis est: altaria ab *Augustino* dicuntur memoriæ sanctorum, quia nempe sub iisdem sanctorum corpora condita sunt: ergo sacrificia super iisdem celebrata celebrantur in memoriam & honorem sanctorum? Cur non eodem robore concludas: sanctorum sepulcra altaria sunt: ergo sacrificia super iis celebrata ipsis sanctis celebrantur? Ergone nulla alia in orbe causa est, cur altaria memoriæ sanctorum dicantur, quam quia super iis in memoriam & honorem sanctorum sacrificatur? Itane secundi casus vocibus non aliam ob causam quam ob sacrificandi cultum imponuntur? Cur non possint sanctorum memoriæ dici, quia cineres sanctorum, iisdem suppositi, memoriam sanctorum refricant, renovantque? Quemadmodum eodem sensu *Servili Trolli* memoria dicitur, super quâ sacrificium nunquam peractum est. Aut quia ad illorum sepulcra in memoriam sibi revocare viventes sanctorum demortuorum vitam, merita, virtutes debebant? Quod eos cum primis tumulos, quibus addita sunt monumenta & inscriptiones, facere videmus. Jam ipsa loca, ex *Augustino* à

V

Bellar-

Bellarmino producta, nihil aliud dicunt, quam sacrificia *apud memorias*, id est, apud tumulos sanctorum offerri; itemque *in memorias* martyrum, id est, sepulcra eorum, seu loca, ubi condita sunt eorum ossa, altaria constitui. Ex quo tam non sequitur, sacrificia in eorum memoriam & honorem offerri, quam non sequitur: apud lapidem sepulcralem hujus martyris, vel in ipso lapide sepulcrali sacrificium offertur: ergo offertur in memoriam & honorem lapidis sepulcralis; Vel: altaria in quatuor columnas marmoreas constituuntur, seu inædificantur: ergo sacrificia, in altaribus illis peracta, in honorem & memoriam quatuor illarum columnarum celebrantur. Quæ itaque confidentia *Bellarmino* est, ut scribere ausit: *concedere Augustinum, sacrificium offerri in memoriam sanctorum & pro in templo & altaria erigi in sanctorum memoriam?* Ne apicem quidem unum hujus rei in omnibus illis *Augustini* locis, immò nec in reliquis *Augustini* libris reperire est, nedum vocabulum, nedum pronunciatum. Sed verò color offundendus imperitorum oculis fuit, ut, quia memoriarum nomen de altaribus *Augustini* ævo usurpabatur, evestigio crederent, & sacrificia in altaribus in sanctorum memoriam celebrari. Postremò, ut totus confundatur *Bellarminus*, addo, si *Augustinus* sacrificia in memoriam sanctorum rectè celebrari posse credidisset, quam facile ei fuisset, eo loco, ubi negat, martyribus sacrificia offerri, dicitque: *non ipsis martyribus sacrificat sacerdos, quamvis in memoriâ sacrificet eorum, quia DEI sacerdos est, non illorum, (53.)* unam adjicere literulam, dicereque: *non ipsis sacrificat, quamquam in memoriam sacrificet eorum?* Ut quidem *Augustinum* alicubi satis temerè corruptit *Durantus*. (54.) At pertinax veritatis *Augustinus* & ab omni superstitione & idololatriæ periculo abhorrens: *in memoriâ*, id est, sepulcro, *martyrum sacrificat sacerdos*, dixit: non in memoriam atque honorem.

XXIV.

(53.) XXII. de C. D. c. X. (54.) De Ritib. Lib. II, c. XXXV. p. 517.

XXIV. *Bellarmini* citra dubium auctoritas audentio-
rem fecit *Joannem Deziium*, Jesuitarum in novo Collegio Ar-
gentoratenſi principem, ut id, quod antea ex verbis tantum
Augustini collegiſſe videbatur *Bellarminus*, jam ipſe primo &
immediato verborum ſenſui adſcriberet, id eſt, verba: *in me-*
morias & *apud memorias*, ipſâ primâ ſignificatione ſuâ idem
plane exprimere aſſereret, ac: *in memoriam*, *zur Gedäch-*
tuiſ. Quod in viro, neque controverſiarum neque antiqvi-
tatis imperito, planè convenit mirari. An enim ignorantia
dicemus phraſeos, toties totieſque in veteribus occur-
rentis, quæque ſenſum ſui adèd apertum, ſive in ipſâ nomi-
nis flexione, ſive in conſtructione cum vocibus aliis, ſive
deniq; in materiâ, de quâ ſermo eſt, repræſentat? Quis verò
hoc tribuat viro, tantæ eruditionis laude inclyto? An verò
deciendi ſimpliciores in eo ſuſpicabimur animum, ut vo-
ces, vix unius alterieſque à ſe literæ differentiâ diſtantes:
apud memorias, *ad memorias*, imò: *ad memoriam*, i. e. ſepul-
crum, &: *in memoriam*, i. e. honorem, idem ſonare voluerit
perſuadere? Quis verò hanc mentem adſcribat viro, tantum
præ ſe candidæ infucataeq; veritatis ſtudio ferenti? Ita; ex-
pectabimus, donec iſtud nobis dubiū forte ipſe ſit exemturus.

XXV. Præceſſit in ſtudio conciliandi Eccleſias *Dezius*
Jacobus Benignus Boſſuetus, qui admirabili, non tam mole quam
ſucceſſu eventueſque, *Expoſitionis doctrine Catholica* libello, to-
tius in ſe orbis, Reformatorum præcipuè in Gallia, quorum
religioni exiguum iſtud opuſculum funus paravit, oculos
convertit. Is cum eodem inſtituto, Romanam fidei confeſ-
ſionem, ſimplicem in ſe complecti antiqvitatis de doctrine
Chriſtianæ capitibus ſenſum, probaturus, eundem, quem
Dezius, *Augustini* locum adduceret, (55.) illum ita circum-
ſcribit: *qui ne falloie pas croire, qu' on offriſt le ſacrifice aux*
sainctis

(55.) IIX. de C. D. c. XXVII. Verba ſunt: *Quis audivit aliquando fide-*
lium ſtandem ſacerdotem ad altare dicere in precibus: offero tibi ſacri-
ſcium Petre vel Paule? cum apud memorias eorum DEO offeratur.

sainctis martyrs, encore que selon l'usage pratiqué dès ce temps-la par l'Eglise universelle, on offroit ce sacrifice sur leur saints corps & A LEURS MEMOIRES; c'est à dire, devant les lieux, ou se conservoient leurs precieuses reliques. Quæ verba *Claudius Fleurius*, Presbyter Parisiensis, adprobante *Bossueto*, ita convertit: non putandum esse, sanctis martyribus sacrificium offerri, nisi usu jamtum ab Ecclesiâ universâ recepto sacrificia supra sancta eorum corpora, & ad eorum, ut vocabant, MEMORIAS offerrentur, hoc est, ad ea loca, ubi pretiosa servarentur reliquia. (56.) Quod *Bossuetus* ex *Augustino* transtulerat: A leurs memoires; & *Fleurius* latinè: ad eorum, ut vocabant, memorias; id *Dezius* Gallicè: en memoire d'eux: & Germanicè: Zu Ihrer Gedächtniß / transponit. Cumque *Bossuetus* memorias interpretaretur: les lieux, ou se conservent leur precieuses reliques; & *Fleurius*: loca, ubi pretiosa eorum servantur reliquia; id *Dezius*: en l'honneur des saints; en memoire des saints: Zu Ehren der Heiligen; zur Gedächtniß der Heiligen / exponit. (57.) Quo difficilius pronounciare possum, cur *Dezius* non à manifesto tantum *Augustini* sensu, sed interpretatione etiam ejus doctoris, cujus vestigia ubiq; legit, discesserit.

XXVI. Nec assequi vel hariolando possum, quid responsurus sit *Dezius*? Sensum forte dicet *Augustini* sese reddidisse, non verba. At non circumloquitur verba, sed vertit. Nec memoriarum, quæ sepulcra sunt, sensum reddit, qui recordandi honorandique officium memoriarum voci attribuit. Saltem consequi, ajet, ex ipso memoriarum nomine, sacrificium super memoriis thecisque sanctorum peractum, sanctorum etiam memoriæ inserviisse. Enimverò quam febriculosa hæc sit consequentia, adversus *Bellarminum* paulò ante ostensum est. Nunc addo, hanc ipsam olim insti-

(56.) *Expos. de la doct. à Paris. 1686. p. 25. Et in Lat. Exempl. quod Antididagmati suo subjunxit Dan. Sev. Scultetus, p. 919. (57.) Reun. p. 379. f. Vereinigung. p. 384. f.*

instituisse collectionem Vigilantium, cujus tamen hæresin totis viribus Lutheranis imputant Romanenses. Patet id ex Epistolâ ad Riparium, quæ excitatis à Vigilantio turbis ab Hieronymo opposita est. In eâ enim hoc unum agit, ut Vigilantio, à memoriis martyrum, cultuque Divino, super istis memoriis celebrato, ad ipsorum martyrum cultum argumentanti, atque eo ipso & sacrificia super memoriis sanctorum & reliquiarum in iisdem asservationem & cereorum super illa accensionem & vigiliarum ad memorias istas agendarum consuetudinem reprobanti, respondeat, vano irritoque conatu has consequentiasnecti. Cum universus ille super memoriis martyrum cultus non in memoriam cedat martyrum, sed in solius DEI honorem, adeo ut ne cerei quidem iis, aut in ipsorum honorem accendantur, sed *ad signum duntaxat lætitiæ demonstrandum*, cum illa ceremonia eo tempore, quo legebatur Evangelium, per omnes orientis Ecclesias fuerit usitata; nec vel colantur vel adorantur super memoriis illis ipsi sancti, ne serviatur creaturæ potius quam creatori, sed offerantur uni Domino sacrificia & tumuli sanctorum non sint ipsorum sanctorum, sed Christi altaria. Planè quemadmodum & *Augustinus* dixerat: *altare, super sanctum martyris corpus, non ad martyris, sed ad DEI honorem cultumque constructum.* (58.) Quamquam forte tabernaculum, memoriis & cultui martyrum jam tum adhærentem, & viderit Vigilantius & non immeritò reprehenderit, immò in ipsâ Ecclesiâ cultus illius luxuria eo seculo tolerata & excusata potius fuerit quam comprobata, fatente in Epistolâ antidoto *Erasmo*. (59.)

XXVII. Subjiciemus duo ex antiquitate testimonia, quæ suppetias *Bellarmino* atque *Dezio* ferre videntur; quorum prius *S. Cyprianus* suppeditat. Is enim eâ epistolâ, quâ Presbyteros atque Diaconos monet, ut dies, quibus excedant martyres, annotent, eos ad se jubet perscribi, *ut com-*

V 3

memo

(58.) IIX. De C. D. XXVII. (59.) Ad Hier. T. II. p. 127.

memorations eorum INTER MEMORIAS martyrum celebrare possimus, ait: inprimis Tertullum compellans: *ut significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriose mortis exitu transeunt; & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorations eorum.* (60.) Verum ut vocularum quarundam affinitas incauto lectori, ac si sacrificia hic in memoriam martyrum prædicentur, imponere possit, rem recto oculo intuentem, ut id credat dici, nunquam permovebit. Commemorations enim inter martyrum memorias celebrare nihil aliud est, quam recentia confessionis exempla priscis martyriis conjugere & dum inter ipsa præcedentium martyrum sepulcra eorum agitur memoria, recentium quoque confessorum victorias simul prædicare. Celebrare verò oblationes & sacrificia est munera & preces offerre DEO, eum in finem, ut commemorarent in iisdem martyrum victorias, gloriosâ morte relatas, proq; illis & gratias DEO agerent & ad similem in agone Christiano constantiam alios exhortarentur. Ita enim alio loco se *Cyprianus* ipse disertè interpretatur; cum enim dixisset, salutariter provisum ab antecessoribus suis esse, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericorum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, *nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*: id è vestigio ita exponit, ut dicat: quia Victor contra formam in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non esse, *ut pro dormitione ejus fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesiâ frequentetur*. Vide: sacrificium pro dormitione defuncti celebrare, est, oblationem fieri, munerum scilicet, & deprecationem nomine ejus in Ecclesiâ frequentari: atque hoc ipsum nempe est: oblationes & sacrificia celebrari ob commemorations eorum. Duo verò hic adverte: primò, oblationem & sacrificium non esse sacrificium Missæ, sed munera & preces, seu, ut *Cypriani*

(60.) Ep. XII. ad Pam. num. XXVII.

ni verbo utar, oblationem & deprecationem. Ut adeò frustra ex hoc loco pro sacrificio verè sic dicto, in sanctorum memoriam celebrato, præsidium desumatur. Deinde, preces offerre ob commemorationem, non esse offerre preces ad laudandos celebrandosque martyres, sed martyrum nomine DEum precari, seu deprecationem martyrum nomine in Ecclesiâ frequentare. Quod & ipsum à sacrificio in memoriam sanctorum factò tam longè ac è cœlo terra est remotum. Nempe, ut jam superiori capite ostensum est, adferebantur in Ecclesias munera nomine demortuorum, perinde ac fecissent illi, si adhuc viverent. Quo significabatur, in communione Ecclesiæ fideiq; demortuum excessisse. Et quemadmodum cum viventes munera offerrent, preces simul à sacerdote nomine offerentis ad DEum fundebantur, ut hæc munera Ecclesiæ simul ac offerenti salutaria essent: ita planè & eorum nomine, qui è vivis decesserant, & offerebantur munera & muneribus jungebantur orationes, in quibus quia necessariò mentio offerentium facienda erat, illæ ob cõmemorationem eorum fieri dicebantur. Quæ quam longè absint à sacrificiis, in memoriam sanctorum vel martyrum celebratis, ultrò constat & sequenti capite amplius ostendetur. Dum hæc scribo, in mentem mihi venire non diffiteor, posse forte utrumque *Cypriani* locum de Clerico & martyribus, non iis, qui jam gloriosam mortem forti animo pertulerunt, sed quibus dicta fuerat dies, quo consummarentur, aut instabat excessus tempus, intelligi. Quo pacto loquendi illa ratio: *deprecationem pro dormitione fieri, itemque altera: celebrare oblationes & sacrificia ob eorum commemorationes*, liquidiolem facilioremque sensum exhibere viderentur. Id enim prohiberet *Cyprianus*, ne in publicis Ecclesiæ precibus Clericus, qui alterum Clericum tutorem curatoremve nominaverit, jam jam moriturus, DEO commendaretur, isque invocaretur pro beato ejus obitu obtinendo, quem dormitionem appellat. Itemque promitteret,

ret, celebraturum se & in suâ Ecclesiâ oblationes & precum sacrificia, ubi primum nominati fuerint futuri cruciatuum & excessuum dies, ut supplicia eopse, quo paterentur, die coram totâ Ecclesiâ commemorarent, populumque ad precandum pro generosâ ipsorum constantiâ inflammarent. Unde & addit: *quæ sacrificia citò vobiscum Domino protegente celebrabimus*, instante nimirum, ut fama ferebat, excessus die. Nam & alibi studium Ecclesiæ suæ, in comendandis DEO confessorum conatibus, laudaverat: *nos, inquit, vestri diebus ac noctibus memores, & quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, & cum in secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam à Domino faventiam postulamus.* (61.) Quam tamen opinatiunculam nostram, si quibusdam premi difficultatibus videbitur, prompto animo deferemus.

XXIIX. Alterum testimonium Smyrneneses in epistolâ, quâ Polycarpi martyrium describunt; (62.) exhibent. Cum enim dixissent, ossa se & cineres sancti martyris studiosè condidisse, continuo subdunt: *Quò etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet DEUS, natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros, hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Quæ tamen verba neque sacrificii neque precum ullam faciunt mentionem; celebrationem tantum natalis diei, quo coronatus Polycarpus martyrio est, memorant. Hunc verò in memoriam & honorem quorumlibet benè defunctorum agi posse, dubio caret, nosque alibi ex Apostoli verbis: *memores estote ductorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem DEI, quorum imitemini fidem, contemplantes, quis fuerit exitus conversationis ipsorum*, docuimus. Quamquam verò in iisdem illis festivitibus oblationes simul & preces & sacrificia celebrata fuerint, ea tamen celebrata non esse in sanctorum, qui

(61.) Ep. XXXVII. quæ est inter Pamel. XVI. (62.) Quam conservavit Euseb. IV. H. E. XV.

qvi in Domino demortuifuerant, honorem & memoriam, sed in gloriam solius DEI, cujus gratiâ & certamina martyrum & victoriæ simul durantibus sacris cõmemorabantur, ex superioribus abundè constare poterit.

XXIX. R. *Bellarminus* eo controversiarum suarum loco, ubi Missam rectè celebrari pro sanctis contendit, (63.) Lutheranis insultat, qvòd ipsi nec celebrent sanctorum memoriam apud sanctorum reliquias, nec martyrum corpora sub sacrâ mensâ reponant, sed ejiciant potius, nec deniqve in precibus & mysterio Eucharistiæ ullam sanctorum mentionem faciant; qvare rectè concludi: recessisse eos ab usu primitivæ purioris Ecclesiæ, sacris literis consentaneo. Cui nos nihil aliud qvam ingenuam G. *Cassandri* confessionem, in Consultatione (64.) proditam, opposituri sumus. Is enim postqvam asseruisset, utiliter eqvìdem factum antiquis temporibus esse, cum adhuc recens & certa memoria martyrum vigeret & DEUS indubitatis miraculis eos, qvi mortui putabantur, sibi vivere declararet, ut fides, qvam illi moriendo professi sunt, ad illorum memorias solennes & celebres conventus habendo, in qvibus & sacrificium DEO offerebatur & sanctorum virtutes prædicabantur, his tanqvam signis confirmaretur, monet tamen, in hoc paulatim irrepfisse abusum. In memoriis istis qvasi nundinas factas, illatasq; epulas esse. Constare etiam, posterioribus temporibus nimium reliquiis & memoriis sanctorum indultum & tributum fuisse, sic, ut à bonis qvoqve viris, pio Zelo præditis, summa qvasi religionis in hujusmodi reliquiis conqvirendis, auro & gemmis exornandis, memoriis seu templis sumptuosissimis ædificandis posita putaretur & ab improbis qvoq; hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superbo reliquiarum collocaretur. Præterea creditum esse, solâ martyrum frequentiâ homines à peccatis purgari & impune peccare posse. Accessisse alia mala, qvòd avaritiæ causâ, ad lim-

X

pitem

(63.) Lib. II. de Miss. c. IIX. §. Ex hac longa.

(64.) Art. XXI. p. 16.

Ed. Helmst.

plicem populum illicendum, falsæ reliquiæ supponebantur & ficta prædicabantur miracula, iisque miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum, quam ad sanctorum imitationem, vel vitæ emendationem provocaretur; nonnunquam autem actu & illusione dæmonis, hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa novæ reliquiæ revelabantur & ejusdem operatione miracula edi videbantur. Immo permultos repertos esse, qui sanctorum reliquias, seu falsas seu veras, quæstui habuerint, ita ut passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar sacrorum Isis, circumferrentur & multis mendaciis imperito vulgo commendarentur. Cumque adeò omnia hodie passim reliquiis sanctorum plena esse videantur, verendum esse, ne si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & judicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent. Quibus dictis tandem concludit: *cum veræ & comperta reliquia, præsertim in Germanicis his provinciis, per pauca sint & multa ex iis, quæ ostentantur, non temerè suspecta haberi possint atq; illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimum verò superstitioni vel quæstui serviat, multò consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur & populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab ipsis vel de ipsis extant, imitanda provocetur.* Hoc verò fieri in Lutheranâ Ecclesiâ, in ipsâ solis mensâ positum est. Nec poterat Bellarmino, Lutheranos insectanti, quisquam magis appositè respondere, quam ex ipsis Romanorum partibus *Cassander*. In quo itaque planè acquiescimus.

XXX. Restat, ut ad locum *Augustini* à *J. B. Bossueto* superiori capite objectum, quod spatio exclusi facere vetabamur, nunc respondeamus. Probatum eâ Dissertatione dedimus, Evcharistiæ sacrificium, quâ illud oblationibus & precibus opponitur, in Ecclesiâ antiqva pro sanctis non fuisse celebratum & quicquid sacrificii precumque illo seculorum

lorum ambitu pro iisdem oblatum est, non in eorum honorem, sed utilitatem potius oblatum, seu quod idem est, preces illas non nudas gratiarum actiones, sed veras supplicationes fuisse. Id convellere annis *Bossuetus* fuit illo *S. Augustini* effato, ex decimo septimo de verbis Apostoli Sermone deprompto: *Perfectio*, ait, *in hac vitâ nonnulla est, ad quam sancti martyres pervenerunt. Ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles, baptizati nimirum & in mysteriis eruditi, noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare DEI, ubi non pro ipsis oretur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim, pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Ex quo conclusit, si antiqua Ecclesia pro sanctis martyribus oraverit, aut imposuisse *Augustinum* auditorio suo, aliquid nimirum circa rem maximi momenti negando, quod ipsum tamen apertæ veritati conveniret & convenire omnibus notum esset, aut ignorasse id, quod in suâmet Ecclesiâ & faceret quotidie ipse & ab omnibus aliis fieri nemini esset obscurum, quod utrumque perquam foret absurdum.

XXXI. Sed verò I. ex eo, quod in *Augustini* Ecclesiâ oratum pro martyribus, aliisque sanctis non fuit, (quod asseverante *Augustino* nemo negat) non sequitur, nec in aliis Ecclesiis pro iisdem oratum esse. Quid enim dicemus de illis Liturgiæ Hierosolymitanæ verbis? *Memento, Deus omnium spirituum & universæ carnis orthodoxorum, quorum memoriam egimus & non egimus, ab Abel justo usque ad diem hodiernum; fac, ut ibi requiescant in regione viventium, in deliciis Paradisi, in sinu Abrahæ, ubi exulant dolor, tristitia & gemitus.* Quid de illis ex Liturgiâ Marci, quæ cum Patriarchas, Prophetas, Apostolos nominasset: *& horum, inquit, omnium animas fac requiescere, Dominator Domine Deus noster, in sanctorum tuorum tabernaculis, in regno tuo, largiens ipsis promissionum tuarum bona?* Quid de illis, ex Syrorum Missâ sumtis: *Memento Domine eorum, qui communicarunt in edificium*

*hujus templi & in erectionem mansionis hujus atque omnium, qui nobiscum sive parum sive multum consociationis habent. DEUS presta eis requiem, bonamque memoriam; potissimum sanctissime DEIPARA Mariae? Hocne offerre est, non orare? Itane non orat pro Mariâ, qui DEum alloquitur: presta ei requiem, bonamque memoriam? Hocne est gratias reddere pro his, non pro iis precari? Aut offerre, ad celebrandas eorum laudes, non ad impetrandum solatium, requiem, promissionum bona Divinarum? Nempe Latinas tantum Liturgias in oculis habuit Bossuetus, Græcarum oblitus. Quamquam nec in Latinis scriptoribus testimonia desint, quæ ostendant, pro eorum beatitudine oratum esse, quos eâdem reapse perfrui crediderunt, ceu jam supra aliquoties ostensum. II. Cum Latinorum Missalia, quotquot hodie supersunt, ipsumque illud Gothico-Gallicanum, quod vulgari illo Gregorio-Eli-giano antiquius esse operose proclamant Josephus Thomasius & Jo. Mabillonius, horum ipsorummet sententiâ supra septimum seculum non ascendant, idque, quo hodie Romani omnes utuntur, Simonvillius Gallus à Franciscanis demum concinnatum, promulgatumque à Nicolao III. Pont. seculo nempe XIV. & ægrè, nec ab omnibus Ecclesiis receptum esse propugnet, (65.) quid in iis antiquum sit novumque, quid item ab antiquo more vel mutatum vel deletum vel adjectum, nullo immoto argumento sciri potest. Atque adeò ex eo, quod hodie in iisdem Romani non amplius pro sanctis orent, aut etiam Africanæ Ecclesiæ jam tempore Augustini pro sanctis & martyribus non oraverint, argui non potest, nec antiquitus pro iisdem fuisse oratum. Nam & olim, quod hodieque S. Gregorii Liber Sacramentorum præfert, (66.) in natalitiis S. Leonis Papæ precabantur: annue nobis, Domine, ut anima famulæ tuæ Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta: id verò hodie eam ipsam ob causam, quod iudice Innocen-
tio*

(65.) Vid. Act. Er. Lips. A. 1683. p. 139. (66.) Pag. 112. Ed. Menard. a. 1652.

tio III. P. M. *sancti orationibus nostris non indigent*, (67.) mutatum est in hanc formam: *ut intercessione beati Leonis hac nobis prosit oblatio*. (68.) Quod quamquam ab Hug. Menardo, frigidè admodum & contra sensum, qui per verba intelligentium auribus non potest alius, quam qui supplicantis, quod agnoscit allegatus Innocentius Pontifex, est, illabi, exponatur: *ut hac prosit oblatio Leoni ad gloriam vel ad honorem*, (69.) id tamen evidenter comprobatur, variè Liturgias à Romanis interpolatas esse atque mutatas. Unde & Glossa, Innocentii verbis adjecta, notat: *quia olim orabatur pro ipso, hodie ipse orat pro nobis, & ita mutatum est*. Eandemque mutationem & in Latinâ vulgari Missâ accidisse, non immeritò jam superiori capite §. V. & XIX. suspicatus sumus. Nec verò III. primorum seculorum consuetudo, de quâ unice superiori exercitatione fermo nobis erat, dijudicari ex quinti sextique seculi moribus ullo modo debet, cum amplificato per Constantinum M. Christianismo, quasi præcipitato gradu à priorum seculorum simplicitate discesserit, Ecclesia; plusque mutationis solo quarto seculo in Ecclesiâ institutis contigerit, quam triseculari ante spatio, intra ordinem nempe per ipsas immanes persecutiones constrictâ Ecclesiâ, ab Apostolicâ disciplinâ est deviatum. Si que ex nominibus, quibus Liturgiæ insignantur, capiendum indicium est, antiquiorem ætatem præferunt Liturgiæ Græcorum Jacobi, Marci, immò & Cyrilli, Hierosolymitani, Basilii, Chrysofomi; quam Latinorum, Gelasii, Gregorii Magni, Eligii. *Primogenium* enim illum, ut vocat Mabillonius, (70.) Romanæ Liturgiæ ordinem, ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usque receptum, hodie totus mundus ignorat, qui altius sepultus est, quam ut ad Gallicani exemplum è tenebris erui queat: verendumque esset, si ad ipsius Petri seculum posset ascendi, ne tota Liturgia Romana unâ

X 3

forte

- (67.) V. Decret. Gregor. L. III. de celebr. Miss. Tit. XLI. c. VI. §. *Quævisisti*.
 (68.) Miss. Rom. Antw. a. 1677. p. 508. (69.) Not. in Sacr. p. 167.
 (70.) Lib. I. de Lit. Gall. c. II. §. 4. p. 6.

forte pagina posset absolvi, recitatione scilicet orationis Dominicæ & verborum institutionis. Qui verò ex posteriorum Liturgiarum usu de veteri consuetudine judicare instituit, is ex ipsâ Romanâ Ecclesiâ *Hugonem Menardum* audiatur, Congregationis S. Benedicti & S. Mauri monachum, antiquitatum Liturgicarum strenuum scrutatorem, qui: *ab eorum mente alienus sum, inquit, qui omnes Ecclesiasticas institutiones & ritus, atque etiam recentiores, ad Apostolorum tempora omnibus remis & velis, ut ajunt, referre contendunt; quo nihil absurdius esse semper judicavi. Nam ejusmodi homines antiquorum patrum & Conciliorum verbis ac sententiis vim inferre non dubitant, modo suis nugis, in officinâ cerebri sui cuscis, colorem aliquem & fucum tribuere possint: non eorum mentem sequi, sed eam ad sincipitis sui nebulas pertrahere cupientes, non sine gravi antiquitatis Ecclesiasticæ & veritatis dispendio: non advertentes, omnes traditiones Ecclesiasticas non fuisse ubique temporum & locorum easdem, ac proinde omnia confundunt & pessundant; & in hoc se bellè putant Ecclesiæ auctoritati consulere, cum eam hac ratione scribendi penitus convellant. Nemo est enim adeò ab omni judicio adversus, qui nesciat, Concilia, Episcopos, Summos Pontifices, quos Deus posuit mysteriorum suorum dispensatores, posse vetera quædam (utpote preces, pro impetrandis martyribus cœlestium promissionum bonis) abrogare & nova statuere, prout S. Spiritus impulsu ducti Ecclesiasticæ utilitati & dignitati ea conducere providerint.* (71.) Denique IV. quâ ratione pro sanctorum beatitudine, quam secundum animam reapse adierunt, secundum corpora verò die demum extremo expectant, veteres orare potuerint, superiori capite fusè expositum est. Nunc id tantum adjicio, quicquid in verbis, hæctenus à nobis consideratis, precibus pro sanctis objecit *Bossuetus*, id omne jam olim à *Jo. Dallæo*, viro doctissimo, fusè esse confutatum. (72.)

XXXII.

(71.) Præf. ad Sac. Greg. p. i. ij. f. i. (72.) Adv. Lat. trad. de rel. c. obj. I. III. c. XXIV. p. 487. f.

XXXII. Illud quoque S. Augustini: *Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*, nondum omninò & evidenter probat, Augustini ævo saltem in Latinâ Ecclesiâ pro martyrum commodo oratum non fuisse. Nec enim quicquam aliud sanctus pater inficiatur, quam eo modo pro martyribus in Ecclesiâ orari, quo oratur pro aliis, ut nimirum exipiantur à peccatis, (nam & hunc errorem jam tum in Ecclesiâ ortum esse ex Enchiridio ejus apparet) & ipsa, ut vocant, essentialis gloria illis impetretur. Non verò simpliciter ideò negat, pro martyribus aliisve sanctis in Ecclesiâ preces institui, ad alias quascunque iis utilitates à DEO acqvirendas. Nam & Latinæ Ecclesiæ oratio est: *sumpsimus, Domine, sancta mysteria, quæ sicut sanctis tuis profunt ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam.* Et in secretâ festi Leonis hodieque dicitur: *S. Leonis confessoris tui atque Pontificis annua solennitas nos tibi reddat acceptos, ut per hæc pia placationis officia & illum beata retributio comitetur & nobis gratia tua dona conciliet.* Quid clarius est, quam peti, ut proficit oratio? Ut proficit ad gloriam? Gloriam nempe illam cœlestem, quæ fidelibus sanctisque DEI præparata est? Gloriam eam, quæ in secretâ Leonis (73.) beata retributio vocatur? Quam antea animæ Leonis Latina Ecclesia, ut ei prodesset, fuerat apprecata. Animæ verò Leonis non alia gloria adferre utilitatem poterat, nisi ea, quæ in visione DEI beatificâ consistit, quæ sola intellectum perfectâ DEI trinunius & mysteriorum ab ipso revelatorum notitiâ, excellentissimoque; harum rerum amore fatiare potest. Neque hoc de Collectâ, in festo Leonis I. recitari solitâ, negat

Bel-

(73.) Duæ Missæ annuæ Leonib. destinatæ sunt, altara XI. Aprilis Leoni Magno, altera XXIIIX. Junii Leoni secundo. In priori comparent verba à Bellarmino allegata. In posteriori verò denuo verba Collectæ ad doctrinam, Ecclesiæ Romanæ magis convenientem, accommodata leguntur: *DEUS, qui anima famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitijs, ut qui peccatorum nostrorum ponderis premismur, ejus apud te precibus sublevemur.* Miss. Rom. p. 508.

Bellarminus. Nec enim poterat negare, cum beata retributio, ex phrasi præcipuè Romanæ Ecclesiæ familiari, nisi de ipsâ æternâ beatitudine, quoad se & in essentiâ suâ consideratâ, nequeat exaudiri. Adeò nempe ubiq; etiam in recentissimis Missarum formis vestigia veteris moris, pro iis quoque, qui vel martyrii vel confessionis coronâ redimiti, sanctique habitus fuerant, precandi, transparent. Quid itaq; non verosimile est, antiquissimis temporibus, ubi more Ecclesiæ Græcæ & Latina sanctæ simplicitati tenacius adhæsit, neq; illud Glossæ adhuc auditum fuit: *Et ita mutatum est*, in Ecclesiâ Latinâ factum fuisse? Illa verò duo à nobis producta loca *Bellarminum*, vi veritatis constrictum, coegerunt, ut, quamquam in priore precatione gloriæ vocem de glorificatione potius sanctorum in his terris, quam de gloriâ cœlesti accipi posse primò contenderit, statim tamen huic responsioni diffusus, concesserit, non videri absurdum, si dicatur, peti ab Ecclesiâ in orationibus illis augmentum gloriæ alicujus accidentalis: immò & forte gloriam corporis, quam habituri sint sancti in die resurrectionis. Quamquam enim eam gloriam certò sint consecuturi, eaque debeatur illorum meritis, tamen non esse absurdum, hoc illis desiderare & petere, ut pluribus modis debeatur. Quinimò postremò disertè concludit: *cum ergo Augustinus dicit, injuriam facere martyri, qui orat pro martyre, intelligitur de illis, qui martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quâ illi carerent.* (74.) Cum Bellarmino itaque ante omnia transigat *Bossuetus*, priusquam assertum suum: nunquam in Latinâ Ecclesiâ pro ullo sancto oratum esse, aut etiamnum orari, tanquam indubitæ certitudinis nobis obtrudat.

XXXIII. Ex his hætenus expositis denuò summo jure concludo: illegitimam vanamque esse à sacrificiis, in memoriis sanctorum oblatis, ad Missas, in memoriam vel honorem sanctorum celebratas, consequentiam.

(74.) Lib. II. de Purg. c. XII. §. Ad reliqua.

F I N I S.

COROLLARIA.

- I. *Nota Ecclesia visibilis vera sunt pura predicatio verbi & administratio Sacramentorum.*
- II. *Quo non obstante Ecclesia Waldensium ante Lutherum vera fuit Ecclesia.*
- III. *Latuit etiam vera Ecclesia visibilis ante Lutherum sub ipsa Ecclesia Romanâ, quamquam falsâ.*
- IV. *Sola Lutherana Ecclesia semper fuit atque est vera Ecclesia, neque extra eandem est salus.*
- V. *Contradictionem implicat, Romanam Ecclesiam esse Catholicam: nec tamen Romanis invidemus nomen Catholicorum, quia nec Judæis ipsi Romani invident nomen Judæorum.*
- VI. *Rectè se Lutherani vulgò non vocant Catholicos, quamquam verè sint Catholici, quia nec DEUS se vocari voluit Baal, quamquam verè fuerit Baal.*
- VII. *Non negare possunt Pontificii, extra Ecclesiam Rom. esse salutem; nec negare possunt Lutherani, intra Ecclesiam Rom. esse salutem.*
- IIIX. *Gallicana Ecclesia in ipso fundamento à Rom. Ecclesia dissidet, tantum abest, ut sit pars Rom. Ecclesie.*
- IX. *Non est institutum à Christo caput universalis Ecclesie externum atque visibile.*

Optimo Civi meo,

DN. ENGELHARDO ZANDTIO,

Parentis, de Berghusanâ Ecclesiâ in Diœcesi Durlacensi benè
meriti, nunc superatis atrocibus belli angustiis cœlesti gloriæ
adscripti, Filio feliciter æmulo,

Postquam à funesto patriæ excidio cum innumeris aliis exul, in Academiâ
primùm Wittebergensi, piorum favore adjutus, dein hac nostrâ Ro-
stochiensi, munificentia sublevatus planè inusitatâ Illustrissimi EH-
RENSCHILDII, Daniæ ocelli, diligentiam ingenio & industria
pietatem, ceu par erat, junxisset, post plurima privata indu-
striæ documenta, nunc quoq; in publico Auditorio
masculè disputando, sese bonis omnibus, quibus gra-
tus hæctenus vixit & acceptus, probanti,
Necessariam & uberrimam ad omnes sacros conatus Di-
vini Spiritus gratiam, scientiæ pariter atque pietatis, Ec-
clesiæ olim DEI profuturæ, quotidiana incrementa,
& fata post exantlatas difficultates prosper-
rime atq; exoptatissima,

Ex toto pectore precatur

JOANNES FECHTIUS, D.

NO.

NOBIL. DN. RESP.

Sunt antiqua Tui veterum monumenta laboris
Et studii specimen, Dulcis Amice, Tui.
Hæc eadem precor, ut quondam Tibi præmia fundant,
Hæc Tibi pro merito commoda mille creent.

*Populari suo & Cognato, in publicâ cathedrâ eximia in-
defessoq; sudore parata eruditionis specimen edenti,
meliore animo quam versu adplaudet*

AUGUSTUS MAGNUS FECHTIUS, Jur. Stud.

Bada - Durlacensis Marchicus.

Sollan Ihm/ Werthster Freund / zum späten Denckmahl stehen /
Was heute höchstbedacht Sein weiser Mund uns lehrt:
Es sey den Heiligen zum Denckmahl nicht geschehen /
Wenn dort beyhm Denckmahl ward das Abendmahl gerwehrt.
Uns soll/ was Er Ihm setzt zum Denckmahl/ nicht vergehen!
Was man Ihm sehen wird / das werde spät gesehen!

Dieses wünschet zum Andencken

NICOLAUS RICHTER.

Quæ sit pura Fides, monstrasti, Svaris Amice,
Dum dicis, quæ sint sacrificanda DEO.
Pergas; non pigeat fallum monstrasse laboris
Quæstum, quem capiant quique sinistra docent,
Te verò quondam lætus labor iste beabit
Atque Minerva tibi præmia digna dabit.

*Hæc paucula Amico suo singulariter dilecto
volanti calamo apponebat*


MATTHIAS HARTMANNUS PHRYGENIUS,

S. S. Theol. Stud.



XXXII. Illud quoque S. Augustini: *In*
tyre orare, cuius nos debemus orationibus comm
 omnino & evidenter probat, Augustini av
 tinâ Ecclesiâ pro martyrum commodo ora
 Nec enim quicquam aliud sanctus pater in
 eo modo pro martyribus in Ecclesiâ orari,
 aliis, ut nimirum exipientur à peccatis, (c
 rorem jam tum in Ecclesiâ ortum esse ex
 apparet) & ipsa, ut vocant, essentialis glori
 tur. Non verò simpliciter ideò negat, pro
 isve sanctis in Ecclesiâ preces institui, ad al
 iis utilitates à DEO acqvirendas. Nam &
 oratio est: *sumpsimus, Domine, sancta myster*
etis tuis profunt ad gloriam, ita nobis quesu
medelam. Et in secretâ festi Leonis hodieqv
nis confessoris tui atqve Pontificis annua solemn
dat acceptos, ut per hac pia placationis officia
tributio comitetur & nobis gratia tua dona conc
 rius est, qvâ peti, ut profit oratio? Ut pro
 Gloriam nempe illam cœlestem, qvâ fide
 DEI præparata est? Gloriam eam, qvâ in
 (73.) beata retributio vocatur? Qvâ antè
 Latina Ecclesia, ut ei prodesset, fuerat appr
 verò Leonis non alia gloria adferre utilitate
 ea, qvâ in visione DEI beatificâ consistit, qvâ
 perfectâ DEI trinunius & mysteriorum ab ip
 notitiâ, excellentissimoq; harum rerum amor
 Neq; hoc de Collectâ, in festo Leonis I. reci

(73.) Duæ Missæ annuæ Leonib. destinatae sunt, altara XI. A
 altera XXXIX. Junii Leoni secundo. In priori col
 larmino allegata. In posteriori verò denuo ve
 ctrinam, Ecclesiæ Romanæ magis convenientem
 guntur: *DEus, qui anima famuli tui Leonis at*
nia contulisti, concede propitiis, ut qui peccatorum
premissur, ejus apud te precibus sublevemur, Missæ



the scale towards document

mar-
 dum
 La-
 uisse.
 vam
 pro
 er-
 ejus
 tre-
 ali-
 que
 esia
 san-
 at ad
 Leo-
 red-
 re-
 cla-
 am?
 que
 onis
 onis
 ma
 nisi
 tum
 rum
 test.
 egat
 Bel-
 gnio,
 Bel-
 do-
 ta le-
 præ-
 dere